

† R. P. Iacobus Hughes (1908-1947)<sup>1</sup>

(Prov. Balt.)



Quoniam hic iuvenis sodalis quamdam perfecti missionarii « ad exteros » formam exhibet, profecto dignus est, cuius vita ope Analectorum ad omnium confratrum notitiam pervehatur.

Prope Pittsburgum, in sinu familiae agricolae et vere christianae, Iacobus Hughes ad lucem venit d. 4. Nov. 1908. Per complures annos ipse quoque in agrorum cultura occupatus erat, de qua re libenter postea coram colonis Brasilianis gloriabatur. In votorum religiosorum nuncupatione, festo S. Alfonsi a. 1931, iam 23 annos numerabat.

Iacobus noster per totam vitam semper « toto corde et animo » id agebat, quod agendum erat. Sic in area gymnica collegii North East erat athleta famosus et postea in Mato Grosso Brasiliae eques famosus; at idem in sacello, sive iuvenatus, sive novitiatus, sive studentatus, iuvenis piissimus. Attamen in scientiarum acquisitione, ut alii tarde vocati, experiebatur difficultates maiores.

Mirabili presbyteratus potestate insignitus festo S. Aloisi a. 1936, mense Aprili 1938 mittitur a Superiore Provinciali in difficilem Provinciae Baltimorensis Missionem Brasilianam, ubi Aquidauana, Campo Grande et tandem Ponta Grossa eius zeli apostolici stationes fuere et vel magis harum domorum « Hinterland », quod dicitur.

*Padre Jaime* (sic eum appellabant Brasiliani) erat missionarius « idealis »: numquam aegrotus, semper ad omne opus apostolicum paratus, semper hilaris et optimista, licet remotissimus ab illis commoditatibus, quae domi habere poterat. Per duas, tres, quattuorve hebdomades permultis diebus octonas, immo denas horas equo insidere, sic itinerari per vias pessimas vel etiam sine viis, per longas horas ignorantibus instruere, eos ad recipienda tandem aliquando sacramenta baptismi, confirmationis, poenitentiae, Eucharistiae, matrimonii praeparare, has « primas » adulterorum confessiones per totum diem excipere, quae singulae per tertiam horae partem durare solent, dormire in lectis et cubiculis plenis molestorum insectorum, vesci eodem cibo quo pauperes incolae, videlicet oryza, fava, carne radiis solis tosta, et in mediis his sacrificiis semper servare animum festivum: sane

<sup>1</sup> Cf. *C.S.S. R. Chronicle* (folia privata Prov. Balt.), n. 8, Nov. 1947. — J. GALVIN in *Perpetual Help* (N. Y.), Nov. 1947, p. 315; Dec. 1947, p. 411-414.

haec heroismum sapiunt. Et in nostro P. Iacobo confratres et populi hunc heroismum admirabantur per amplius novem annos.

A. 1941, post primas suas ferias ex patria redux, suo fratri germano scripsit: « Denuo equo vehi oportet. Iam nonnullas eiusmodi excursionses perfeci ad 'primas lineas', et cogor admittere me aliquantulo 'tenerum' fuisse. Nunc vero iterum equitare possum per decem horas continuas, et nihilominus bona gaudeo valetudine ».

Ex alteris feriis ad domum Campo Grande redierat sabbato, 27 Apr. 1946, h. 6.20. Missam pro populo celebravit h. 7.30 et per reliquum matutinum tempus parvulorum confessiones excepit. Postero die descendit ad tuguria militaria, praeparaturus 600 milites ad confessionem et communionem paschalem. In fine alterius hebdomadis se contulit ad quoddam praedium tantum 60 km. distans ab oppido, et tamen non accessibile nisi itinere 4 dierum, quod nunquam sacerdotem viderat, et ubi reperit omnes coloni filios filiasque, a 19 mensibus ad 19 annos, nunquam eousque baptis-mali aqua lustratos.

Die 20 Iunii eiusdem anni ad suos scripsit: « Redii ex altera mea expeditione apostolica et cras tertiam aggrediar. Non est mihi tempus aliquid aliud cogitandi nisi sarcinam parare, equo novas soleas ferreas inducere, pauca lintea munda colligere, et tunc denuo est proficiscendum! »

Brevi ante tragicam suam mortem, 10 Sept. 1947, matri dilectae nuntiat: « Mensibus Iulio et Augusto fori eram, et vix domum regressus debui Episcopum nostrum comitari in suo confirmationis administrandae itinere. Sed iam iussus sum ad Statum Paran me conferre, ubi per longum tempus equis non utar. Potius oportet denuo extrahere libros Germanicos et aliqua vocabula Polonica memoriae mandare... Adhuc habeo 185-190 libras pondo; idque quamvis fatigaverim et occiderim tot equos. Revera post meas excursionses quandoque ceciderunt exhausti ».

A. 1946, ante ultimum iter Brasilianum interrogatus a confratre, num patriam Brasiliae praeferret, respondit: « Utinam idoneus essem ad praedicandam, saltem semel, missionem in aliqua ex magnis nostris paroeciis! Sed videns me instructionem, educationem, sacerdotium totque alia bona Congregationi debere, quidquid Superiores a me petunt, id libens volensque exsequor, et sic libentissime ad meam Missionem revertor ».

Redux ex suis expeditionibus P. Hughes, qua erat modestia, non habebat multa quae de se narraret. Eo attentius audiebat confratrum eventus ac victorias. At videres eum per dies integros occupatum transcribendis ex adversariis suis in libros paroeciales longissimas series nominum, eorum scil. quos ipse antea baptizarat, forte etiam ex indulto apostolico confirmarat aut matrimonio christiano iunxerat.

Videres item haud semel Indianos ad portam nostrarum residentiarum Aquidauana vel Campo Grande pavide ac verecunde interrogare de « Padre Jaime ». Iuvenis ianitor horum virorum aspectu peregrino ad risum motus erat; at quam diversam scenam attonitus dein admirabatur, simulac P. Iacobus apparebat! Illi Indiani non iam erant timidi, sed cum immenso iubilo suum amicum salutabant, sicut missionarius suos amicos. Et horum amicorum voces risusque audiri poterant in oppposito urbis angulo! *Dilectus Deo et hominibus Padre Jaime!* (cf. Eccli. 45, 1).

Ita quidem, dilectus Deo. Annon eodem entusiasmo, quo ministerio apostolico, sese dabat Operi Dei? Sufficiebat eum videre ad altare vel cum

Breviario vel Rosario. Quot Rosaria dixerit equitans per loca deserta, solus Deus scit. Ceterum corona Rosarii fere semper in eius manibus erat, et sic meruit gratiam moriendi ipso festo Sacratissimi Rosarii. Mors autem ita accidit:

Iam Dominica 1 Octobris a. 1947 in Ponta Grossa fideles in variis Missis exhortatus erat ad devotionem Rosarii et ad continuam vigilantiam. « Etiam nos sacerdotes semper parati esse debemus, nescientes diem et horam, qua Dominus venturus sit ». Insequenti fer. III cum confratre R. P. Ed. Byrne curru automobili se contulit ad vicum Chapada. Visitant parvam loci scholam ad brevem catechesim habendam. Padre Jaime quaerit: « Quis dies festus est hodie? » Quaedam puellula cum nomine Polono recte respondet esse festum SS. Rosarii et a Patre recipit pulchram imaginuculam. Dein P. Iacobus his parvulis eadem fere dicit quae nudiustertius adultis dixerat, ut studeant omni die dena minuta recitandae coronae dedicare et ita Deiparae protectionem in vita et in morte sibi mereri sed oportere quoque semper habere animam adeo mundam, ut quis omni momento ante Christi tribunal apparere queat. Id valere etiam de sacerdote.

Vix transierat horae quadrans, et Patre Jaime ipse stabat ante hoc tribunal, rationem reddens de 39 annis vitae, de 16 annis status religiosi, de 11 annis sacerdotii. Sane cum magna fiducia hanc rationem reddere poterat. Sed redeamus ad narranda facta. Relicta schola loci Chapada P. Hughes cum socio iter prosequitur versus vicum Taquarí, cum extemplo vehiculum quodam viae malae obstaculo vehementissime concutitur et P. Hughes foras eiicitur in terram fractis cervicibus. P. Byrne, ipse incolumis, ei dat sacramentalem absolutionem et telephonice advocat a Ponta Grossa confratrem cum olio infirmorum. Accurrit revera R. P. Ed. Kelsh, sed P. Hughes iam, ut sancte vixerat, sancte erat mortuus, tenero affectu suum Crucifixum deosculans et fervidos actus amoris ac contritionis eliciens.

Ecce quomodo vivit et moritur genuinus Doctoris zelantissimi filius, genuinus missionalis exterarum gentium, opis spiritualis peculiariter indigentium! Holocaustum eius sit semen multorum aliorum apostolorum similis virtutis et sanctitatis.

---

*Tempore infirmitatum corporalium non datur melior mortificatio quam quae a Deo mittitur, dummodo infirmitas toleretur cum patientia et gaudio.*

*S. Alf. ad Sor. Briannam Carafa 20 Sept. 1781.*